

1782.

- * 1. Ackermann : Programma, quo ordinarius senior cele-
gue amicorum fac. iur. memoriam Ackermannianam
... indicavit.
- * 2. Bornius : Cratallarium juris Criminalis X.
Programma, quo ordinarius senior celebrius as-
sesores fac. iur. memoriam Bornianam in Nurem.
3. * Erhardus, Christianus, Paulus : Programma, quo
ordinarius senior celebrius amicorum fac. iur.
solenmissa Doctoralia Christianus Paulus Erhardo
... etiam in dicunt.
- * 4. Thesaurus, Sennius, Gentilicus : Tractationes
de actione Pauliana continuatio. Programma,
quo ordinarius senior celebrius amicorum
fac. iur. sollemnissima Doctoralia Senni Gentilicii
Thesauri in dicunt.
5. * Toecken Guelphus Christianus Albertus : Cratallarium i-
rid. Criminalis X. Programma, quo ordinarius senior cele-
brius amicorum fac. iur. sollemnissima Doctoralia ... Guelphie
Christianus Albertus de Toecken in dicunt.

1782.

6. Schoenburg, Henricus Ernestus, S.R.T. Comes a: Corol. 11
Carium iuri criminalis VIII. Programma, quo ordi-
nariis senior et aucterisque doctores pro. iur. solle-
niae Doctoralia Hassici Ernesti S.R.T. Comes Ig.
natus a Schoenburg indicatur. 13
7. Kornmann, Christian Gottlieb: De iurisdictione metal.
licorum universa. 17
8. Bauer, Henricus Gottlieb, pro. iur. procuratorius:
De actione Pandiana. Programma, quo sollemnia
Doctoralia Hassici Ferdinandi Hasseli indicat. 15
9. Bienerus, Christianus Gottlob: De finibus iurisprudentia.
tric naturalis circa finem regundis. 16
10. Bienerus, Christianus Gottlob: De successione fin.
dorum non secundum ius representationis sed
lineam praerogativam ordinanda. 17

1782.

11. Bienerus, Christianus Gottlob: De impresso Præmorum et Germanorum monst.
12. Chladnius, Ernestus Flores Fiducius: De charactere ecclesiastico principum.
13. Erhard, Christianus Daniel: De vicariis Sacramentis.
- al. lib II
14. Erhard, Christianus Daniel: De prudentia in legibus condendis atque bona.
15. Hebenstreit, Heinrich Michael: Meditaciones nonnullae ad jura patristica.
16. Huchel, Mauritius Ludovicus: De optione uxori ejusque haeredibus in bonis mortis defuncti, praesertim ex jure Sacramento, competente.
17. Kuhel, Heinrich Ferdinand: Num ob renovatio non simultanea investituræ a proximiori bim. lance investituræ omittatur, consolidatio fenti tempozaria, existente successioneis causa, locum debet?

1782.

18. Fuggerus, Dr. Historicus: *Historia juris contis
de divortiorum causis et paucis et legibus
utriusque codicis et novellis illustrata.*

19. Kretzschmar, Jacobus Historicus: *Observationum juris
Criminalis specimen I.*

20. Kretzschmar, Iustus Justinianus: *De antiquissimis
mercatorae iudicis*

20^b* Kretzschmar, Iustus Justinianus: *Diploma, quo col
legium jurisconsultorum Episcopale ... Iusto Justi-
niano Kretzschero utriusque juris Doctoris ... hono-
rus anhabet.*

21. Probst, Dr. Historicus: *Primum verio num forensium
specimen.*

22 Puchmannus, Dr. Iur. Fac. Jur. Prorecessarius:
*Programma, quo sollemnia inauguralia Mauritiu-
dorici Huelbelii ... indicat.*

1762.

23. Pustmann, Ios. Lud. Sm: Aphorismi juris Criminis.
nulis.
24. Schott, Augustus Fredericus: Defensio super
successione in majoratu saepe artuo. Program-
ma, quo orationem auspicialem indicat.
25. Schott, Augustus Fredericus: Observaciones ad le-
gum Sacroricam Doctoralem & causarum ministeriarum
processum. Spec. I. Programma, quo solennissima Doctoralia
Inventi Florentis Historici Academii indicat.
26. Stremann, Aug. Paul: De Cerere legisfera. Program-
ma, quo et orationem auspicialem iuritat.
27. Stockmann, Fr. Th. Mangolt: Prolegomena Pomeranorum
theatralibus.
28. Stremann, Augustus Cornelius: Voliterarum oblo-
gatione.
29. Winkler, Crotus Gumpen, de fcc. juri. proscriptoribus:
Collarium juris Criminis IV. Programma, quo solennissima
inauguratio Historici Banc indicat.

1782.

30. Winckler, Carolus Gottfridus, de : Observations quatuor
et § 1. Legis Taxonomiae Electratis nonnimas & C
culatione Ediculis in causis civili bus.

31. Jucker, Fr. v. Guttal : Recherches in a modis
et fere bono mente facta.

32. Jucker, Fr. v. Guttal : Analyse de successione.

27. Januar, unter Befreiung der Menschenrechte
et. & d. Lys. besaßne Leibes- und seelischen Frei-
heit keine Wahrheit in einer einzigen
Wahrheit, d. d. Freiheit. Wahrheit ist eine Wahrheit
die freiließt manche Fette
28. Januar, 1810. Unter. Wahrheit ist eine Wahrheit

21

1782, 28.

DE

LITERARVM
OBEGGATIONE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

P R A E S I D E

AVGVSTO CORNELIO
STOCKMANNO

D. IV. APRIL. C. D. IO CCLXXXII.

DISPVTABIT

A V C T O R

FRIDERICVS VANSELOW

GVBENA · LVSATVS

LIPSIAE,
IMPRIMEBAT HOLLE.



VIRO
IVRIVM CONSULTISSIMO
EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO
CAROLO FERDINANDO
RICHTERO
CONSULI CIVITATIS GUBENENSIS
EIVSDEMQVE
IN COMITIIS INFERIORIS LVSATIAE
PVBLICIS SENIORI MERITISSIMO
PATRONO
MVL TIS NOMINIBVS
DEVENERANDO

VIR ICTISISIME EXCELLENTISSIME
AMPLISSIME
PATRONE PIE COLENDE,

Quod multis accidere solet, ut in eligendo, cui potissimum libellum academicum inscribant, nomine diu haesitent atque anxie circumspiciant, id mibi plane non accidisse, ingenue profiteor. Nam cum tot et tantum benigitatis atque benivolentiae, qua TV, VIR VENERABILIS, a prima inde aetate me exornasti, extent documenta, ut me, cum patriis adhuc lavibus litarem, non solum benigno hospitio exciperes, sed et rebus meis egregie prospiceres; profecto hunc libellum temum insigni TVO nomine ornatus tantum absit, ut in audaciae suspicionem incurram, ut potius pietas, qua TIBI obstrictus sum, hoc ipsum a me exi-

A 3

gat,

gat, et iure quodam suo postulet. Evidem probe scio, leuissimum hoc pietatis meae specimen neque eruditiori TVAE responderem, neque etiam beneficiis TVIS grato animo collaudandis vires meas pares esse. Nihilo minus tamen futurum esse, ut has qualescumque ingenii mei et diligentiae primitias placido et sereno vultu excipias, eximia TVA humanitas et singularis adversus me amor non tam sperare, quam confidere iubet. Quod ad me attinet, Deum Optimum Maximum ardentissimis semper implorabo precibus, ut TE, PATRONE OPTIME, cum splendidissima familia diu adhuc sospitem et incolumentem praestare, et in diurnam ciuitatis Gubenensis, cui egregium afferes et decus et praesidium, felicitatem per longam annorum seriem conservare velit. Quas preces, si ratas esse iussurit immortale numen, spes mihi affulget lactissima, fore, ut non solum et in posterum sub fauoris TVI umbra dilitescere, sed etiam de communi nostrarium felicitate impensa lactari possim

NOMINIS TVI AMPLISSIMI

Scripti

Lipsiae a. d. IV. Non. April.

MDCCCLXXXII.

cultor obseruantissimus
FRIDERICVS VANSELOW.

Disputant inter se ICri, iique houd exigni nominis viri de literarum obligatione eiusque natura et indole. Sunt, quia, quoniam ab utraque parte contrahentium vera voluntas, adeoque verus consensus desideretur, contractibus veris eam annuncrandam esse negent. Sunt etiam, qui obligationis huius fundatum in numeratione ponendum et ad solam mutui, quod rei tamen traditione perficitur, causam referendum esse contendant. Sunt deinde, qui missis orationibus aliis, exiguum huius doctrinae usum ex hodiernis moribus demonstrant. In tanta doctrinorum ICtorum diuersitate, licet de hoc contractu eiusque usu hodierno multa multi scriplerint, e quibus caeteris potissimum palnam praeripiunt LUDWIGIVS^{a)}, ZOLLERVS^{b)}, MENCKENIVS^{c)}, GUNDLIN-
GIVS^{d)} et qui recentiori aetate peculiares ea de re commentarios ediderunt, GEORGIVS SAMVEL, MADINN^{e)} et IOACH.
ERDMANN SCHMIDT^{f)}, tamen operae pretium me facturum esse arbitror, si naturam huius obligationis e natalibus suis repetitam paulo curatus inuestigandam ipsiusque Institutionum Imperialium locum, qui de hoc contractu praecepit, obseruationibus nonnullis illudendum mihi sumfero. In quo quidem, vti, relicto quodam spicilegio, con-

men

a) in D. de nexus scripturae et subscriptionis, Hal. 1737. 4.

b) in D. de vero fundamento contractus chirographarii, Lips. 1744.

c) in D. de vera indole literarum obligationis et exceptione non numeratae pecuniae, Lips. 1749.

d) in Gundlingianis part. XXXX, p. 410, et latine redditu a Guili, Or.

tone Reizio in excursu XVII, p. 1212,
edit. Theophil.

e) in D. de vera indole literarum obligationis atque exceptionis non numeratae pecuniae earumque usu in foris nostris cessante, Hal. 1769.

f) in D. ari et quatenus literarum obligatio in Germania locum habeat, len, 1766,

men hoc a summorum virorum laboribus alienum reprehendent, qui
scriptionem hanc qualemcumque cum ipsorum opera comparaturi sunt:
ita benevolos lectores, ut iuuenili aetati aliquam veniam dent, vehe-
menter oraque obtestor. Habet autem IUSTINIANVS IMP. E)
in ipso Institutionum textu haec:

Olim scriptura sibi obligatio, qua: nominibus fieri dicebatur,
quac nomina bodie non sunt in usu. Place si quis debere s. scriperit,
quod ei numeratum nos est: de pecunia minime numerata, post multum
temporis exceptionem opponere non potest; hoc enim scriptissime con-
stitutum est. Sic sit ut bodie, dum quaeri non potest, scriptura obli-
getur: et ex ea nascitur conditio, censante scilicet verborum obliga-
tione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex prin-
cipalibus constitutionibus usque ad quinquennium procedebat: sed ne
creditores diutius possint suis pecuniis forsan defraudari, per consti-
tutionem nostram tempus coartatum est, ut ultra biennii metas butuimo-
di exceptio minime extendatur.

In vniuersum quidem qualis fuerit illa, cuius hoc loco mentio
fit, obligatio, disquirendum est. De literarum obligatione nominibus
olim facta differit CICERO^{h)}, vbi turpis a Memmio et Caluino ini-
tae pactionis mentionem facit, haec pactio, inquiens, non verbis, sed
nominibus, et prescriptionibus multorum, tabulis esse facta cum dice-
retur: prolat a Memmio est, nominibus inducis. Qui diligentius
Romauorum varios pecuniam creditam probandi modos et literarum
virtutes memoriae prodidit GELLIUSⁱ⁾; is de creditore agente ad-
versus debitorem morosum, qui numeratas pecunias probationem
postulabat, haec profert: is cum suis multis patronis clamitabat pro-
bari apud me debere pecuniam datam co-suetis modis, expensi latrone,
mensae rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obfignatione,
testium intercessione, ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti
iam se oportere et aduersarium de calunnia dannari. Erudit de his
scriptuae figuris differit et ex antiquitatibus ad eam rem illustrandam
multa

g) lib. III. cap. XXI. § vn.
h) lib. IV. ad Att. ep. 18.

i) No&t. Att. lib. XIV. c. 2.

9

multa congesit CLAVD. SALMASIVS^{k)} coniungendus cum aduersario acerrimo DES. HERALDO^{l)}, atque sulti his auctorum veterum locis plerique in tradendo, quod inter antiquam et nouam literarum obligationem intercedit, discriminare, priorem illam de expensi latione intellexerant propterea, quod nominibus, tabulis inscriptis, non minus obligatus fuerit debitor, ac si stipulatio, aut aliud vinculum affueret. Falso, Duplex erat ipsa illa antiqua literarum obligatio. Romani, si cui pecuniam mutuam dabant, solebant aut ex arca et domo, vii leges loquuntur, aut ad publicas argentariorum tabernas et mensas numerare. Si prius actum erat: redigebantur sola debitorum nomina in expensi et accepti tabulas, aut calendaria; si posterius; virtusque, et creditoris et debitoris nomina in rationes referebant argentarii. Ex virtusque contrahendi ratione oritur quidem obligatio: sed eius fundamentum non est scriptura, quae sola nostram causam absolvit, sed numeratio pecuniae. Neque vero in expensi latione, aut calendariis, neque in mensae scripture hoc efficitur, vt, quod ad naturam obligationis literalis pertinet, totius negotii efficacia sola ex scriptura dependeat, sed hoc tantum, vt illa scripture, si debitor numerationem in dubium vocare velit, fidem debiti faciat, adeoque inter instrumenta et media probandi referenda sit. Refringenda igitur haec nominibus facta obligatio in eum casum, si quis ereditum antiquum, novatione facta, in alterum creditum transferret, consecuta in eam rem scripture et solenni ritu confirmata. Enim in hoc e. C. A. T. H.^{m)} ICti institutionibus, literis, inquietis, obligatio sit, aut a re in personam, aut a persona in personam. A re in personam, velut, si id, quod ex emtione, aut condutione, aut societate debes, alii reddas: A persona in personam, velut, si id, quod mihi alter debet, alteri personae delegem, ut reddere debeat. Ab Aniano haec ICti verba interpolata, certe librariorum incuria plane corrupta esse censet non solum OISELIVSⁿ⁾, sed etiam FABROTTVS^{o)}. Quicquid sit, nihil tamen faciunt ad nominam illa foeneratorum, imo potius conuenient cum iis, quae de contractis

k) de modo usurari. c. X. et XI.

l) in animad, ad ius Atticum Salmasi, c. II. et 12.

m) lib. II. Tit. IX. de oblig.

n) in notis ad Caui Inst.

o) in not. ad Theophil.

tractus literalis natura et inde traduntur a THEOPHILo P), qui e veteribus Iureconsultis, forte ex ipsis integris ac genuinis Caii Institutionibus ea, quae profert, haustile videtur, vi recte suspicatur SCHVLTINGIVS^{q)}. Nam vixit Theophilus eo tempore, quo integra adhuc veterum ICorum scripta extabant. Ex his multa de promere et mutuare potuit, ad illustranda ea, quae in Inflitrationibus, cum iam in desuetudine absissent, obiter et ὡς ἐν παρόδῳ tantum commemorantur. Is quidem luculentam huius rei notionem exhibet his fere verbis: Λέγεται ἐστιν, τὸ παλαιὸν χρέος εἰς κανὼν δένειον μεταχρηματίζενον ἔμπορον, οὐδὲ φεύγειαν τυπικήν. Pluribus tamen comamemorat apud veteres ita nominibus factam esse obligationem, vt is, qui rem aliquam emtionis, locationis, stipulationis, aut alio titulo (multae enim debitorum sunt causae) sibi obligatam habebat, maioris securitatis gratia, proferret tabulas, quibus debitorem ad perscribendam nominis quantitatrem et causam veterem hac intentione vrgebat, vt, missa obligatione veteri, commodior succederet ex literarum subfiguratione civilis debiti perfecutio. Extincta igitur priori obligatione, nascebatur tunc noua, quae ex solis literis substantiam capiebar. Addit Theophilus exemplum huius literarum obligationis, quod licet ad prius genus, hoc est, vt cum Caio loquamus, ad obligationem a re in personam factam, tantum pertineat, tamen et verbis et literis solennibus eam celebratam esse indicat. Nouando enim poterant contractus qualescumque confirmari. Quicunque debebant, eorum nomina non modo referebantur in tabulas accepti et expensi, vt CICERO^{r)} docet, expensum, inquiens, tulisse non dicit, cum tabulas recitat, sed et in chirographa, adhibitis testibus et parariis. Certe SENEC^{s)} scribit, cum nonima siant, interponi pararios, signatores aduocari, et chirographa dari. Melius adhuc rationem, qua Romani talem obligationem tractarunt, discimus ex eodem SENEC^{t)}: utinam, inquit, persuadere possemus, vt pecunias creditas tantum a volentibus acciperent: utinam nulla stipulatio cunctorem venditori obligaret nec pasta conuentaque impressis signis custodirentur: fides

p) lib. III. Tit. XXI.

q) in intrepr. anteius, p. 163.

r) orat. pro Q. Rose, Com. cap. 5.

f) de benef. lib. II. c. 23.

t) ibid, lib. III. c. 15.

fides potius illa seruaret et aequum colens animus! Sed necessaria optimis praetulerunt et cogere fidem, quam speciare malunt. Adibentur ab utraque parte testes, ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis, facit, ille non est interrogatore contentus, nisi reum manu sua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitias publicae confessionem! Annulis nostris plus quam oculis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? In quid imprimunt signa? nampe ne ille neget accepisse se, quod accepit. Eleganter IAC. RAEVAR DVS^{u)} per viros oratores, qui illas tabulas signabant, intelligit equites Romanos, quibus praefentibus in urbe hoc factum sit, et opinatur, Senecam de chirographo loqui, cui plures subscrivserint. Sed notandum est, a Romanis plerosque contractus atque adeo conventiones in scriptum redactas, neque tabulis subscriptas, sed simul, quid gestum, in suis codices relatum fuisse. Veniunt eiusmodi cautiones sub epistolarum nomine, non quod illis ad exemplum epistolarum salutatio praeponeretur, vt DVAREN O^{x)} vistum fuit, ea enim saepius omittiebatur, sed quod ex more et vnu frequentiori eadem pene formula conciperetur, qua absens absentem rei gestae admonere consuevit, cuius rei vestigia bene multa apud iuris auctores occurunt et notata etiam sunt a RAD. FORNERIO^{y)}. Inde etiam factum est, vt qui mutuum pecuniam sumebant, scribere dicerentur, quemadmodum hanc vocem eleganter explicat Scholiares Horatii, Porphyrio, scribere, inquiens, verbum iuri est pro mutuum sumere et rescribere idem, quod restituere, solvere. Rationem huius denominationis reddit D. NATVS ad Terentium, quoniam numerationem pecuniae antecedat scriptura. Intelligendus inde non solum H. ORATI^{z)} versus.

Scriptos nominibus certis expendere numos,

sed et plurā veterum et auctorum et ICItorum loca, in quibus huius vocabuli mentio sit. Quod autem non in solo mutuo, vt nonnulli eruditī sibi persuasum habuerunt, sed et in aliis negotiorum causis, quarum exempla ponit THEOPHILVS, locum sibi vindicaverit ista

B 2

nomi-

ii) Var. lib. III. c. 1.

y) rer. quotid. lib. II. c. 7. insert.

x) lib. I. anniu. disp. c. 45.

Ottonis thes. iur. t. ii. p. 167.

z) lib. II. Epist. I. v. 105.

nominum subscriptio), eius rei testimonium in emtione venditione conspicuum proferre possumus e CICERO^{a)}). Quemadmodum vero ex iis, quae disputata sunt, satis liquet, per literarum obligationem ea, qua Theophilus describit, ratione initam, et quam Caius a re in personam factam dicit, veram debiti nouationem celebratam esse; ita interdum quoque delegationem per illam induci potuisse, discimus ex eodem Caio. Id enim eius verba volunt: *literis obligatio a persona in personam fit*, ut satis docuerunt Caui interpretes. Debitorum per literas obligare poterat creditor ad solvendum ei, cui ipse debebat, cuique eum delegabat, adeoque in suum locum substituebat. Scribit enim VLPIANVS^{b)}, *delegare scriptura, vel nutu, ubi fari non potest, debitorem suum quis potest*. Ita etiam lucem capit locus HORATII^{c)})

Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicuta
Nodis tabulas centum: mille adde catenas.
Effugiet tamen haec secleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alieni;
Fiat aper, modo anis, modo saxum, et cum volet, arbor.
Si male rem gerere insani est; contra, bene sanis;
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.

Licet enim, innit poeta, omnem diligentiam in debitoris fide adstringenda adhibeas, ipsumque quasi vincetum teneas: licet illum cogas syngrapham dare, qua testertia decem a Nerio argentario sibi, te iubente, perfolute esse testetur: licet tabellas iurisque formulas alias alii adjicias, quibus aequae ac insignis ille litigator, Cicuta, eum irretias: nihil minus iste ex his laqueis sepe expediet, et si forte ad tribunal iudicis pertraxeris; tunc de tua credulitate nequiter ridens omnium in se oculos vertet instar Protei cuiusdam, qui nunc in aprum aut anem, nunc in arborem aut saxum mutabatur. Caeterum quoniam, auctore Theophilo, stipulatio, quae literarum obligationem, nec semper ramen, antecedere solebat, saepius in scripturam redigenda erat, enata inde

a) lib. III. de offic. c. 14.

b) l. 17. D. de novat. et delegat.

c) lib. II. Serm. III. v. 69.

inde est scripturae proprietas, cuius mentionem facit C A T V S^{a)}
 et P A U L V S^{c)} non figura literarum, inquiens, quam
 exprimunt literae, obligamus: quatenus placuit, non minus valere,
 quod scriptura, quam quod vocibus, lingua figuratis, significaretur.
 Rectissime hanc legem interpretatus est C V I A C I V S, qui tradidit, eam
 agere de literarum obligatione, quae ex argentariorum sive mensarum
 scriptura, sive literis est, non de ea, quae ex cauta et non numerata pecunia
 nascitur, quicquid etiam obganiunt alii, qui de ea quidem, sed
 de quavis obligatione scripta legem praecipere contendunt. Et hanc,
 quae nominibus siebat, literarum obligationem non in vnu esse dicit
 Iustinianus. Sua nimirum aetate ista nomina abolita erant. Trans-
 lato enim Constantinopolim imperio mos Graecorum receptus fuit,
 ut syngraphis veterentur, hoc est, cautionibus utriusque contrahentis
 manu subscriptis atque obsignatis, quas syngraphas, vii posterior aetas
 συγράφαι vocavit, ita Latini ioprimitis sub instrumentorum et cautio-
 num nominibus intellexerunt, voce generali ad chirographa produ-
 cta, qua de re fuisse disputat S A L M A S I V S^{f)}. Iustinianus igitur,
 sublata antiqua nominum obligatione, nonam induxit, vt, si quis chi-
 rographo seu manu emissâ caverit se debere pecuniam, quam non ac-
 cepisset, maneret adhuc per aliquod tempus obligatus. Ac primum
 quidem contra iuris veteris auctoritatem ex constitutionibus principali-
 bus inveniuit, vt privata haec chirographa firmatam haberent, dum
 modo intra tempus praestitutum exceptio non numeratae pecuniae
 hanc opponeretur. Requirebatur nimirum, vt cautio emissa tempo-
 ris quinquennalis silentio confirmata esset. Ita habet constitutio A V-
 R E L I I Caelaris servata in fragmanto codicis H E R M O G E N I A N I^{b)}
 his verbis: *ex cautione non numeratae pecuniae, non anni, sed quin-
 quenni spatio deficere, nuper censuimus.* Illud ipsum vero tempus
 dicit Imp. Iustinianus per constitutionem suam coartatum esse. Mu-
 tauit nimirum in biennium, neque vlo modo post hoc querelam in-
 trudi voluit. Referrit A. Mennae P. P. eum in modum^{h)}:
in contrattibus. in quibus pecuniae, vel aliae res numeratae, vel da-

B 3

tar.

d) l. 2. D. de obl. et act.

e) l. 38 D. cod.

f) de mod. vñr. c. 10.

g) l. 14. C. de cauta et non num-
 pec. add. l. vn. C. Theod. si cert. pet.
 chirogr.

h) l. 14. C. de non num. pec.

rae esse conscribuntur, non intra quinquennium, quod antea constitutum erat, non numeratae pecuniae exceptionem obserare posset, qui accepisse pecunias, vel alias res scriptus sit, vel successor eius; sed intra solum biennium continuum, ut eo etijs modo querela non numeratae pecuniae introduci posset: his scilicet, qui propter aliquas causas specialiter legibus expressas etiam clauso quinquennio in praeteritis temporibus adiuuabantur, etiam in postrem, licet biennium pro quinquennatio statutum est, eodem auxilio potituri. Qui Iustiniani Imp. constitutiones, quibus ius ciuile potissimum vel corredit vel mutauit, peculiari commentario, sed docto et eleganti, complexus est FRANCIS C. BALDWINVS¹⁾; is longae huius de exceptione non numeratae pecuniae constitutionis subscriptionem, diem et Consulem contendit desiderari. Suspicatur editam esse anno imperii Iustinianei secundo. Cur hac diuinatione opus fuerit Baldvino, ego quidem non video? In optima quaque Constitutionum Imperialium editione legitur subscriptio haec: DAT. CAL. IVL. CONSTANTINOPOLI D. N. IVST. A. II. CONS. Eodem igitur tempore, quo legem ultimam Codicis de dote canta non numerata datam suisse recte probauit Baldinus, scripta et promulgata est. Redeo ad ipsam Iustiniani constitutionem, vi cuius noua, quae solennia verba non requirit, neque ex numeratione aut stipulatione literis facta oritur obligatio, tum contrahitur, si quis scripto alteri confessus sit, se ei certam pecunias summanum ex causa mutui debere, quam tamen non accepit, quod scriptum, vel quam confessionem, quam cautionem intra biennium non retractauit. Primum igitur ad hanc literarum obligationem, quae nunc contractus chirographarius audit, contrahendan requiritur, ut quis scripto confessus sit se debere, quod non debebat. Non ex acceptatione pecuniae, sed ex literis et confessione scripta, vna et sola huius contractus propria causa, oriebatur haec obligatio. Docet hoc, qui differimen inter chirographa et syngrapha, liceat mutationem rei a Iustiniano factam, ad literarum obligationem intelligendam nihil faciat, tradit, ASCONIUS PEDIANVS²⁾ inter syngraphas, inquiens, et cetera chirographa hoc interest, quod in ceteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent, in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et non numerata quoque pecunia, aut non integræ numerata pro temporaria voluntate hominum scribi.

1) in Iustiniano p. 20. edit. Basili.

2) ad. Cic. Verrin. I. c. 36.

bi solent more institutoque Graecorum: et cæteræ tabulae ab una parte seruari solent syngraphæ signatae vtriusque manu, vtrique parti seruandæ traduntur. Ratio erat, quia Romani, circa numos elocandos diligentissimi, in negotiorum contractibus, vii GELLIVS ait¹⁾, maximeque in pecuniae mutuatitiae vñ atque commercio fidem sanxerant. Quod autem peculiarem et proprium contractum ista literarum obligatio constituit, cum ex ipsis Institutionibus h. t. vbi disertis verbis Theophilus scribit ἀντη δὲ (sc. obligatio) ἐν τῷ εἰ γράμματι ἐν τῷ ὑποκείμενῳ εδέξατο, tum ex alio loco^{m)} cognoscitur, quo contractum variorum species in reales, verbales, literales, et consensuales a Iustiniano recententur. Quodsi igitur in Digestisⁿ⁾, vbi tres tantum contractuum species commemoratur, ita, vt, antequam Bachouio, contractus literalis sub reali continetur, nulla eius mentio facta est: non statim sibi in Institutionibus et libris aureorum, e quibus fragmentum illud deponitum est, Catinum repugnare dici potest, vii nonnulli opinati sunt. Speciem enim formam habet iste contractus ab aliis diuersam, quae e scriptura substantiam capit. Positis his, in aprico est, quid de iis statuendum sit, qui huius contractus fundamentum in numeratione quaerunt. Certum est exploratimque, antiquioris literarum obligationis, quae nominibus siebat, fundamentum solam scripturam suffit. Quia abrogata et a Tribonianio in iis Digestorum locis, vbi ocurrerat, expuncta, etiam si non iam in vñ esset, tamen, cum in eius locum succederet contractus chirographarius, remansit illud, unde omne hoc negotium, vii in nominino obligatione, vim suam nancisceratur, h. e. scriptura. Accedit, quod disertis verbis Iustinianus dicit^{o)} in contractu chirographario scripturam non solum obligare, sed etiam obligationem ex ea nasci. Quid? nonne creditor post biennium a probatione, numerationem factam esse, liberatur? nonne hoc contractu, quoquot scribunt, omnes, dummodo scriplerint, ne exceptis quidem iis, qui nihil acceperunt, obligantur? nonne eo ipso, quod sola scriptura obliget, discrimen inter chirographum et mutuum constitutur? Frustra igitur philosophantur, qui contendunt, obligationem hanc ex praelato mutuo descendere. Neque enim promissio literalis, neque spes mutui accipiendi, ad quod numeratio

I) Noct. Att. lib. XX. c. i.

m) §. vñ. I. de obl.

n) l. i. D. de obl. et act.

o) pr. I. de lit. obl.

ratio requiritur, dici potest mutuum, quod ipsae leges confirmant. Certe de pignore flatuerunt SEVERVS et ANTONINVS IMPERATOR sua constitutione^p): Si pecuniam tibi non esse numeratam, atque ideo frustra cautionem emissam afferis, et pignus datum probaturus es, in rem experiri potes, nam intentio dati pignoris neque redditiae pecuniae, non aliter tenebit, quam si de fide debiti confiterit. Eademque ratione veritas servetur, si te possidente pignus aduersarius tuus agere coepit. Pari ratione in dote euan locum sibi vindicar literarum obligatio. Eidem illi Mennae, ad quem data est constitutio, qua de iam diximus, rescribit IVSTINIANVS^q): in dotibus, quas dotas esse dotalibus instrumentis conscribi moris est, cum adhuc nulla datio, sed poiliticitatio tantum sufficiens sit, liceat non numeratas pecunias exceptionem oppondere, non solum marito contra uxorem, vel eius heredes, morte mulieris, vel repudio, dissoluto matrimonio, sed etiam heredibus mariti, cuius morte dissolutum est matrimonium: Socero etiam, vel eius similiter heredibus, si cum filio suo dotem suscepisse dotalibus instrumentis scriptam sit: omnique personae, quam dotem suscepisse una cum marito conscribitur, et eius similiter heredibus, ita tamen, ut intra annum tantum continuum a morte mariti, vel mulieris, vel missione reipublica computandum ea licentia detur. Et ne nimia excitantes lecturis fastidium creamus, unum adhuc emtionis venditionis exemplum adiciamus, unde, si ita actum sit, e sola scriptura vim fortiorum emtio, si perfectius fuerit. Verba haec sunt^r): in iis emtionibus et venditionibus, quae scriptura consciuntur, non aliter perfectam esse venditionem et emtionem constituiimus, nisi et instrumenta emtionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta, et si per tabellionem fiunt, nisi et completiones acceperint, et fuerint partibus absoluta. Equidem contractus tali ratione iniustus non sit contractus literarum, de quo nobis sermo est, sed manet contractus consensualis. Placuit solum in scriptis contrahi. Sed ita cogito. Si instrumento hoc, quod emtioni venditioni ex accidenti tantum accedit, praeter rei gestae probationem necessario opus est ad perficiendum hoc, in quod partes conseruent; nullum dubium est, quia, cum contractus chirographarius, nisi litterae


p) I. 1. C. si pign. conu. numeratio pec. secuta non fuerit.

q) I. 3. C. de dote caut. non num.

r) §. 1. I. de emt. et vend.

rae interuenient, nullam vim exserere, nullam obligationem inducere possit, quo discernatur summi et ab aliis contractibus, et a multo, quod ex sola rei traditione substantiam capit, adeoque in numeratione pecuniae conspicitur, quin, inquam, eius fundamentum in scriptura ponendum sit, sine chirographo, sive alio instrumento debiti confessionem contrahentes fecerint. Atque haec obligatio dicitor obligatio literarum, quia ex ipsis solis literis et ex sola scriptura nascitur, nec potest dici obligatio re, vel verbis, vel confessio. Non re, quia obligatio non contrahitur re, nisi ipsa numeratione, pecunia autem non numerata fuit: non verbis, quia ad talem obligationem non requiruntur, nec interueniunt quaedam verborum solemnia: non denique confessio, quia praeter confessum accessit scriptura. Caeterum hoc per se intelligitur, quod mutua aedesbeat consensus et eius, qui scriptum tale tradit, et eius, qui illud accipit, quoniam sine conuentione et sine confessu non potest esse contractus. In hac literarum obligatione requiritur porro, ut facta si profectio debiti, non cuiusvis, sed mutui accepti. Quod ut facilius intelligi possit, sciendum est, non cuiuslibet chirographi aut cautionis eam vim esse, ut consistentem obliget. Sunt enim quaedam cautions et confessiones debiti plane inutiles, quales sunt, quae causam debendi non continent, quas indiscretas vocant, vbi scilicet quis confessus est, se debere, nulla nominatim expressa causa, propter quam debeatur. Caeterarum etiam, quae certam debendi causam habent, licet vires sint, tamen non omnium una est vis, unus effectus. Quaedam ad probationem tantum reique gestae fidem valent, nunquam ad obligationem: quaedam vim obligationis habent, nunquam probationis solitus. Prioris generis sunt omnes confessiones, quae non sunt de pecunia mutua: posterioris sola cautio pecuniae creditae et numeratae, quae ita comparata est, ut obligationem inducat. In illis quidem, si quis scriperit, se debere ex causa emisionis, locationis, transactionis et id genus, non potest vii exceptione non numeratae pecuniae, quia, etiam si fateatur scripturam a se profectam, sed neget, pecuniam numeratam esse, scripturam standum est, donec apertissimis argumentis rem alter gestam esse probet. Alter in iunctu, Frequentius in eo accidit, vt captiosa sit cautio propterea, quod spe eius obtinendae

C soleat



soleat emitte ante numerationem. Ob singularem, qua in Theodoram suam captus tenebatur, fauorem, et quo occurreret eius modi fraudibus, maritis etiam hoc indulxit Iustinianus Imp. vt ad dorem cantam, cum ante eius traditionem nonnumquam cautio emissa sit, exceptionem istam porrigeret, ut pluribus habet eius constitutio paulo ante exposita. Pecuniae autem appellatione etiam caeterae res intelliguntur, in quibus mutuum consistit. Hoc volent verba constitutionis nostrae: *in contrahendib; in quibus pecuniae vel aliae res numeratae vel datae esse conscribuntur, non numeratas pecuniae exceptionem obiciere posse, qui accepisse pecunias vel alias res scriptus sit.* Ultimo tandem loco teneendum est, pertinere etiam ad efficacem literarum obligationem, ut cautio emissa biennii silentio confirmata sit. Neque enim continuo, ut quis scripto confessus est, se pecuniam numeram accepisse, aut sibi numeratam esse, literis obligatur, licet factius eveniat, ut spe futurae numerationis, ne, qua indigent, pecunia frustrarentur, quam nondum acceperunt, debitores constinentur et ad numum creditoris eiusmodi cautiones componant. Quod si igitur emissa hac cautione pecuniae sibi numeratae, licet reuera non fuerit intra biennium tali exceptione non vtratu debitor: obligabitur solius scripturae vi ac ratione in eam summan, quam confessus erat cautione, se accepisse, et ad soluendam eam adstringetur. Manifeste hoc tradit IMP. ALEXANDER^{s)}: *Si intra legibus definitum tempus, qui cautionem exposuit, nulla querimonia ius disfunctus est: residuum tempus eius heres habebit tam aduersus debitorem, quam aduersus eius heredem.* Sin autem quefuerit, exceptio non numeratae pecuniae heredi aduersus heredem eius perpetuo competit. Sin vero legitimum tempus excessit, in querimoniā creditore minime deducto, omnimodo heres eius, etiam si pupillus sit, debitum solvere competitur. Neque amplius quaeritur, an pecunia numerata fuerit, nec ne; sed scriptura iuris auctoritate pro veritate habetur. Ipsum hoc biennium, quod continuum est, currere incipit a tempore emissae cautionis, in quo tamen observantur

^{s)} l. 8. C. de non num. pec. add. l. 14. cod.

seruandum venit, quod non currat haec prae scriptio minoribus
vixinti quinque annis, magis adhuc, quod etiam maiores, qui per
instam absentiam querelam mouere non potuerunt, aduersus exce-
ptionem emissam in integrum restituantur. Intra biennium autem,
ex quo emissâ fuit causio, tantum abeſt, vt obligationem inducat,
vt potius ne ad probationem quidem proficit. Elapsò hoc tempore,
contra communes iuris regulas invaluit, vt propter exceptionem
vel querelam non numeratae pecuniae, ipsum creditorem oneret
haec obligatio necessitate probandi, numeratam esse a se pecuniam.
I M P. A N T O N I N V S enim ^{t)}, si ex cautione tua, inquit, licet
hypotheca data, conueniri coepis: exceptione oppoſita, seu doll, seu
non numeratae pecuniae, compellitur peritor probare pecuniam tibi esse
numeratam: quo non impleto absolutione sequetur. In Saxonia Electorali,
quidni enim hoc gratificemur iis, qui vnu forensi animum delectant?
Si post biennium proferatur haec exceptio non numeratae pecuniae,
in reconuentio nem reiicitur, et debitor, recognito chirographo, fol-
vere tenetur, nisi statim docere possit, pecuniam sibi non esse nu-
meratam. Habet enim Ordinatio Processus recognita ^{u)}: *wir*
*denn insonderheit mit Aufhebung dessen, was sonst in denen Rech-
ten deswegen enthalten, auf die exceptionem non numeratae pecu-
niae, wenn solche nicht gleichfalls auf obige Maaffe in continent
liquid ist, hiermit erstrecket, und dass selbige in processu executivo
wider klare Brief und Siegel in Zukunft weiter gar nicht gestattet
haben, dabingegen aber, wenn dieselbe nachgehenas in der Recon-*


C 2

vention

t) I. 3. C. de non num. pec.


u) in append § 8. p. 305 cf. Illu-
ſtris C. G. KUSTRNERVS, vir, omni
noſtra laude maior in doctiss. addit,

ad librum utilissimum: GRÜBNERS
Discours zur Erläuterung der Chur-
Sächs. Proces Ordnung, Leipz. 1700.
p. 540,



vention ausgeführt würde. Wider-Beklagter auf die in §. 4. et 7. gesetzte Maße bestraft werden sollte, unbefohlen haben wollen. Propria nimurum poena haec, ut si probatum fuerit, initiationem temere et trahendae litis causa factam, quarta parte quantitatis, in libello expressae, is, qui initias iuit, multetur, cuius pars tertia vna iudicii, altera auctori, tertia ptochotropheo Waldhemensi attribuenda: pauper vero carcere aliae poena arbitraria afficiatur, et qui ignasse se tempore negationis numerationem iuret, in expensas damnetur. Caeterum inter ciuili ad retractandam intra biennium cautionem alia adhuc consitenti remedia prodiit sunt, condicō sine causa, aut ob causam dati, causa non secuta, ad repetendum chirographum, quae alias ^{x)} indebitae quantitatis scripturae condicō vocatur; deinde etiam querela, seu denunciatio, aut protestatio non numeratae pecuniae, que in scriptis fieri debet, quo debitor perpetuum inde exceptionem consequatur.

x) I. 3. C. de cond. indeb.



1078

ULB Halle
005 361 494

3





DE
EXARCIAM
CASTOCE
S ICTORVM ORDINIS
CTORITATE
A E S I D E
O CORNELIO
CKMANNO
I L C I O I G C L X X X I I
DISPV TABIT
V C T O R
VS V ANSELOW
E N A · L V S A T V S
IPSIAE,
IEBAT HOLLE.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALE